

Werk

Titel: D. Jo. Frid. Blumenbachii Institutiones Physiologicae.

Autor: Blumenbach, Johann Friedrich

Verlag: Dieterich

Ort: Gottingae

Jahr: 1821

Kollektion: Blumenbachiana

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN659038048

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN659038048>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=659038048>

LOG Id: LOG_0050

LOG Titel: Sectio XLIV. De Incremento, Statu et Decremento Hominis

LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

SECTIO XLIV.

DE

INCREMENTO, STATU
ET
DECREMENTO HOMINIS.

— —

§. 640.

Nil amplius restat, quam ut hominem, cuius oeconomiam animalem secundum classes functionum sigillatim hucusque indagavimus, iam adhuc in universum vitalis sui decursus stadium absolventem intueamur, et ab ortu inde per principales vitae epochas ad ultimum usque eius terminum succincte comitemur *).

§. 641.

Et prima quidem foetus *formationis initia* in tertiam circ. post conceptionem

* cf. CONST. ANAST. PHILITES *de decremento f. de marasmo senili.* Hal. 1808. 8.

hebdomadem incidere videntur (§. 569.): cui, vitam tunc tantum longe minimam (§. 82.) et fere vegetabilem viventi, quarta praeter propter septimana primus accedit genuinus *sanguis*: et *corculi motus* (§. 98.) passim rara opportunitate in tenerimo humano embryone oculis usurpatus *), quique in pullo incubato pridem Aristoteli visus **) ab eius inde temporibus *puncti salientis* nomine vel vulgo inclaruit.

Prima vero tenelli embryonis forma simplex adhuc est et quasi larvata, mirum quantum a perfecta humani corporis conformatione diversa; quam quidem summum nifus formativi fastigium appellare licebit, ad quod quidem non nisi per gradus et quasi metamorphoses

*) V. JO. DE MURALTO in *Ephem. N. C.* Dec. II.
ann. I. pag. 305.

ROUME DE ST. LAURENT ap. ROZIER obs.
et mém. s. la physique. Juill. 1775. pag. 53.

**) ARISTOTELIS hist. animal. L. VI. cap. 3. Oper.
Vol. II. pag. 526.

simplicioris formae in perfectiorem, pertingere videtur *).

*) Hinc ut alias monui (— in novis litterariis Goettingensibus a. 1808. pag. 1386 —) non raro monstrata visuntur humana, brutorum animalium formam ideo referentia, quod natus formativus in structura eorum aliqua ex causa turbatus et impeditus, summum illud humanae formae fastigium attingere nequiverit, sed in inferiore gradu substiterit et bestiarium saltum habitum exhibuerit. Contra vero mihi quidem ne unicum adhuc innotuit genuinum exemplum monstrosae in brutis animalibus fabricae, quae saltu quasi natus formativi humanum typum praese tulerit.

Pluribus de ista tenelli embryonis humani cum reptilium primo larvis, et postmodum cum mammalium quadrupedum foetibus aliqua similitudine v. post HARVÆUM de generatione animal. pag. 184 235 sq. (ed. Lond. 1651.

4.) GREW cosmol. sacr. pag. 37. 47. LISTER de humorib. pag. 444. aliosque, praesertim AUTENRIETH, observat. ad histor. embryonis facientium P. I. Tubing. 1797. 4. FR. MECKEL tam in Aufsätz. zur menschl. u. vergleich. Anat. pag. 277 sq. quam in Beyträg. zur vergleich. Anat. pag. 63. et al. et CONST. ANAST. PHILIPPIES l. c.

§. 642.

A septima vero iam inde vel octava hebdomade ni fallor *osteogenia humana*^{*)} auspicatur: et quidem omnium primo succus osseus nucleos suos formare incipit in claviculis, costis, vertebris, ossibus cylindricis maioribus extremitatum, maxilla inferiore aliisque nonnullis faciei ossibus etc., tum et tenerima reti-

^{*)} *Humana inquam osteogenia: — in pullo enim incubato eadem longe serius, sub initium nempe noni demum diei auspicatur, qui quidem terminus septimae supra decimam humanae graviditatis hebdomadi respondet.*

Cavendum itaque ne observationes de pullo incubato institutae minus circumspecte ad humani embryonis formationem transferantur, qui quidem lapsus ipsi summo HALLERO contigit, ea quae de pullorum ossibus demonstravit ea etiam de aliis animalium cassibus vera esse, et de ipso demum homine, nude afferenti.

Cuiusmodi praeiudicium adeo postea invadere cepit, ut non defuerint medici, qui ad forenses de partu praematro lites componendas responsa ferentes, ex eiusmodi temeraria incubationis terminorum cum iis humanæ graviditatis comparatione argumenta peterent. cf. v. c. HUG. MARRETI *consultation au sujet d'un enfant* etc. Divion. 1768. 4.

cula in caluariae quibusdam ossibus planis, frontali nempe et occipitali; serius in ossibus verticis etc. *)

In genere autem incrementum embryonis, imo vero in universum hominis tam nati quam nascendi eo celerius quo propior origini suae est, et v. v.

§. 643.

Media circ. graviditate secretiones quorundam humorum in foetu inchoant; ut *adipis* (§. 486), et *bilis*; septimo vero mense decurrente in universum organa eius quae functionibus vitalibus, naturalibus et animalibus subeundis destinata sunt adeo profecere, ut iam in lucem editus, ex vulgari sensu *vitalis* dicatur et pro parte reipublicae habeatur.

§. 644.

Porro autem maturiori foetui praeterquam quod cutis eius caseosa vernice obducatur, tenellum *capillamentum* sen-

*) Pluribus de his egi in opere *osieologico* P. I. S. II et III.

sim propullulat et *unguiculi* nascuntur; *membrana pupillaris* fatiscit (§. 262.); auris externa cartilaginea firmior et magis elastica redditur; masculoque *testes* descendunt (§. 510 sq.).

§. 645.

Postquam vero decimo lunari mense ad finem vergente *partus* in lucem editus est (§. 595.) praeter supra fusius memoratas gravissimas universae fere eius oeconomiae animalis mutationes, aliae in ipso quoque *externo corporis habitu* ipsi contingunt, ut v. c. lanugo, qua facies neonati obsita est, sensim evanescat, rugae obliterentur, anus iam inter nates quae nunc sensim formantur, abscondatur et s. p.

§. 646.

Sensim sensimque infans *animae* quoque *facultatibus* uti dicit *), percipiendi

*) cf. TIEDEMANN über die Entwicklung der Seelenfähigkeiten bey Kindern, in Hessisch. Beytr. Vol. II. P. II. III.

nempe et attendendi, et reminiscendi, et appetendi etc. unde et proximis post nativitatem mensibus insomnia et s. p.

§. 647.

Externorum etiam *sensuum* organa magis magisque efformantur et ulterius perficiuntur, ut auris externa, et nares internae, oculorum item tegmina, arcus scil. supraorbitales, et supercilia etc.

§. 648.

Calvariae porro ossa firmius coalescunt, fonticuli sensim obturantur, et ab octavo circ. inde mense dentitio incipit.

§. 649.

Tuncque et *ablactationi* maturus est infans, utpote cui dentes ad solidiorem subigendum cibum, non vero ad laeden-dam matris mamillam dati sunt.

§. 650.

Anno primo ad finem vergente pedibus quoque insistere disicit et *situ erecto*

uti, summa humani corporis in universum spectati, praerogativa *).

§. 651.

A materno ubere ita remotus et pendulum usu potitus infans indies magis adolefecit et suae spontis fit, maxime accedente sensim altero humani generis summō privilegio, loquelae puta usu: quando nunc anima familiares sibi ideas linguae ad pronunciandum committere incipit.

§. 652.

A septimo inde aetatis anno labentibus sensim viginti ictis dentibus lacteis, dentitione secunda annorum progressu sequuntur 32 dentes perennes.

§. 653.

Et infantili quoque ea aetate *memoria* reliquas animi facultates praecellit, et recipiendis tenaciter rerum signis longe

*) GER. VROLIK (praef. BRUGMANS) *diff. de homine ad statum gressumque erectum per corporis fabricam dispositio.* Lugd. Bat. 1795. 8.

aptissima est: cum postea a quinto circ.
inde post decimum anno *phantasiae* po-
tius igniculi praevalere soleant.

§. 654.

Atque hic imaginationis vividior sen-
sus aptissime in *pubertatis* annos incidit,
quibus homo variis et memorabilibus
corporis mutationibus ad futuras functio-
nes sexuales paulatim praeparatur.

§. 655.

Postquam enim adolescenti puellae
mammae sororiare ceperunt; iuveni au-
tem mentum pubescit et quae sunt simi-
lia in utroque sexu appropinquantis pu-
bertatis phaenomena; ista *menstruum tri-*
butum solvere incipit (§. 554.): quam qui-
dem gravem in oeconomia foeminei cor-
poris catastrophen praeter alia maior in
oculis nitor, in labiis rubedo, in perspi-
ribili autem materie qualitates sensibiles
magis manifestae tantum non semper se-
quuntur: hic vero primum genuinum *se-*

men secernit (§ 527.), cui secretioni uberior *barbae* *) proventus et memorabilis *vocis* in graviorem mutatio iuncta est.

Simul autem spontaneis quasi naturae vocibus internis iam *sexualis instinctus* (§. 71.) primo excitari et homo nunc in flore aetatis constitutus ad *veneris usum* aptus fieri solet.

§. 656.

Definitus quidem pubertati *terminus* absolute statui nequit: varius quippe pro climatis et temperamentorum **) diversitate; in universum tamen sequiori sexui

*) Fabulosam famam hodieque adhuc passim recantatam de Americae gentibus natura imberibus, nube testium confutavi in *Götting. Magaz.* ann. II. P. VI. pag. 418 sq.

Ex ruperis adde: de Indis Americae borealis, J. HECKEWELDER *von den Indianischen Völkerschaften* pag. 340 sq.: et de Brasiliensis, MAXIMILIANI Princip. *Neovidens Reise* vol. I. pag. 135 et al.

**) Nam et ex Helvetia infantilis puerperae novennis historiam a GOTTL. EM. AB HALLER mecum communicatam inserui *Bibl. medicae* Vol. I. pag. 558 sq.

aliquanto praecocior quam virili; ita ut nostro sub coelo puellæ iam decimo quinto circ. anno, iuvenes e contrario praeter propter vigesimo puberes fieri dicendi sint.

§. 657.

Paulo post et *statura* humanae incrementi finis a natura positus est, itidem, ut a singularium hominum aut familiarum varietate discedam, pro climatis differentia multimode diversae *).

§. 658.

Et tunc quoque ossium *epiphyses* hactenus a diaphysi eorum distinctae, intime

*) Homini enim nullum privilegium a natura concessum, quin climatis potentiam aequa ac alia corpora organica experiatur, quae ceteris paribus frigido sub coelo longe minus adolefcere quam calidioribus terrae zonis, vulgo constat.

Quod vero giganteos Patagones, et COMMERSONII nanorum gentem Madagascarensem attinet, hyperbolicas de ista gigantum natione narrationes ad naturae veritatem emendavi, hos vero nanos ad morbosos *Cretinos* referendos esse, ostendi libro *de generis hum. variet. nativa.* pag. 253. 260. ed. 3.

iam cum ipsa coalescunt et quasi confunduntur.

§. 659.

Virili aetati, quae maiorem et praeftantiorum vitae humanae periodum constituit, quoad corporeas functiones vita quam maximam vocant (§. 82.), summus scilicet functionum istarum *vigor* et *constantia*, quoad animae vero facultates summa maturioris *iudicii* praerogativa competit.

§. 660.

Venturi *senii** nunciae sunt in feminis cessatio catameniorum (§ 556) quam praeter alia non raro sequitur barbae pro-

*) Jo. BERN. FISCHER tr. de *senio eiusque morbis*.
ed. 2. Erf. 1760. 8.

BENJ. RUSH's *medical Inquiries and Observations* vol. II. Philadelph. 1793. 8. p. 295 sq.

BURG. GU. SEILER *Anatomiae o. h. senilis specimen*. Erlang. 1799. 8.

CONST. ANAST. PHILITES l. c.

ventus *), in viris ad venerem segnities, in utrisque autem ingruens iam *siccitas* sic dicta *senilis* **), et vis vitalis iam paulatim sensibile *decrementum*.

§. 661.

Gelida denique *senecta* comites habet ingravescensem sensuum tum externorum tum internorum hebetudinem, longioris somni necessitatem, et functionum oeconomiae animalis ad unam omnium torporem. Canescunt pili et partim labuntur. Cadunt etiam sensim dentes. Neque cervix capiti, neque crura corpori

* cf. JAC. BÜRLIN *de foeminis ex suppressione mensium barbatis*. Altorf. 1664. 4.

Memorabile sane phaenomenon et quod ultiorem indaginem meretur, analogon simili mutationi non raro in avibus femellis observatae, quae postquam effoetae factae sunt positis pennis suo sexni convenientibus, sensim alias quae masculis suae speciei propriae erant, induerunt. Pluribus super his tractavi Commendatione *de nifus formativi aberrationibus*. Gotting. 1813. 4. pag. 8.

**) JOACH. H. GERNET *de siccitatis senilis effectibus*. Lips. 1753. 4.

sustinendo ulterius sufficienter inserviunt.
Imo vero tabescunt quasi ipsa ossa, universae machinae fulcra *), et s. p.

§. 662.

Et sic tandem ad ultimam lineam physiologiae delati sumus, mortem sine morbo **) s. ev. Σαραστιανη senilem, quae omnis medicinae meta et finis primus et extremus est, cuiusque caussae ex hactenus dictis per se facile intelliguntur ***).

*) Non repeto quae de memorabili eo decremente, quod ossibus senum contingere solet, pluribus dixi in opere osteologico p. 36 sq.

**) G. GOTTL. RICHTER *de morte sine morbo*. Gotting. 1736. 4.

Max de L'Humanité médicale

***) Jo. OOSTERDYK SCHACHT tr. qua senile fatum inevitabilis necessitate ex hum. corp. mechanismo sequi demonstratur. Ultraj. 1729. 4.

* MATTH. VAN GEUNS *de morte corporea et causis moriendi*. LB. 1761. 4. recus. in Sandiforti thesaur. Vol. III.

C. G. ONTYD *de morte et varia moriendi ratione* Lugd. Batav. 1791. 8.

CURT. SPRENGEL *institut. medic.* T. I. Amst. 1809. 8. pag. 289 sq.

§. 663.

Phaenomena eius in ipso moribundo homine observanda *) ad frigus extremorum, oculorum nitoris iacturam, pulsum parvulum lentum, et saepius saepiusque intermittentem, respirationem denique raram redeunt; quae denique validiore ultima exspiratione finitur.

In aliorum vero mammalium eva-
sectione simul et cordis agonem obser-
vare licet, quo ventrem et aurim dex-
tram sinistris aliquamdiu supervivere et
ultimo mori constat (§. 117.).

§. 664.

Exanime vero corpus declarant frigori iuncta rigiditas, cornea oculi flaccida, anus hians, dorsum lividum, lumborum depressorum planities (pag. 52. not. *) ma-

*) Successivam mortis phaenomenorum progressio-
nem ab ipso moriente (viro quidem mediae
aetatis et dysenteria extincto) attente obser-
vatam v. in Moritz Magaz. zur Erfahrungs-
Seelen-Kunde. Vol. I. P. I. pag. 63 sq.

xime vero odor vere cadaverosus*). Haec si adfuerint in funere *signa collectiva*, vix Plinii querelae locus datur, ut de homine ne morti quidem debeat credi**).

§. 665.

Terminum vitae naturalem (qui nempe pro frequentiore et quasi regulari provectionis senii meta haberi possit,) definire vix quidem licet***). Memorabile tamen quod plurimarum tabularum emortualium curata comparatione didici, satis multos pro portione senes Europaeos annum aetatis *octogesimum quartum* attingere, paucos contra eum vivendo superare.

*) DURONDEAU in *nouveaux Mém. de l'Ac. de Bruxelles* vol. I. 1788. P. I.

**) C. HIMLY *commentatio (praemio regio ornata) mortis historiam, causas et signa sistens*. Gotting. 1794. 4.

SAL. ANSCHEL *thanatologia s. in mortis naturam, causas, genera, species, et diagnosin, disquisitiones*. ib. 1795. 8.

***) cf. praeter alios notissimos de eo argumento fontes Jo. GESNER *de termino vitae*. Tigur. 1748. 4. recus. in *Excerpto italicae et helveticæ litterat. anni. 1759. T. IV.*

§. 666.

In universum autem et si praeter tot
alia tenellae primō aetatis imbecillitati,
tum vero adulorum plurimorum intem-
perantiae, morborum porro vehementiae
et fortuitis casibus fatalibus debeat,ur,
quod ex millenis circ. hominibus natis
non nisi circ. septuaginta octo morte hac
de qua loquimur sine morbo diem suum
obire dicendi sint, ratione tamen habita
humanae longaevitatis *) comparando eam
ceteris paribus cum reliquorum mamma-
lium quotquot nobis innotuerunt vitae
terminis, facile patebit post quiritationem
sophistarum de miseria vitae humanae vix
aliam esse magis iniustam ea, quam de
brevitate eius occinere solent.

*) BACON. DE VERULAMIO *hist. vitae et mortis.*
Operum Vol. II. p. 121 sq. 128 sq. ed. Lond.
1740. fol.

CHR. W. HUFFELAND *Makrobiotik* T. I.
pag. 90 et al. ed. 3iae 1805.

etc.

er tot
litati,
ntem-
entiae
beatur,
s natis
erte hac
n suum
habita
do eam
hamma-
nt vilæ
tionem
nae vix
quam de

et mortis.
ed. Lond.

ictik T. L